Donatio

- *Verſatur. v. pag. præc.*
- *Producit perfecta*
  - *Conventione Actionem Perſonalem, veluti* ex Stipulatione *Condictionem certi,* aut ex Pacto legitimo *Condictionem ex Lege 35. §. 5. C. h. quæ eſt* ſtricti juris & datur illi, cui pacto facta eſt donatio ejusque hæredibus adverſus donatorem ejusque hæredes. *a. l. 49. ff. d. O. & A. l. 27. ff. h. l. 24. C. h.* ad rem donatam præcisè tradendam. §. *2. I. h. d. l. 35. §. 5.* cum fructibus ejus extantibus. *l. 41. §. 1. ff. d. re jud.* Ubi *ſalva Donatori* condemnato *Relinquenda ſunt Alimenta* deducto ære alieno. *l. 19. §. 1. ff. d. re jud. l. 12. ff. h.*
  - *Traditione Vera vel Ficta. l. 1. C. h. Translationem Dominii. l. 1. ff. h.* aut conditionis uſucapiendi, cùm res aliena tradita eſt. *l. 3. l. 6. ff. pro don.* idque dominium regulariter tranſit *irrevocabiliter. a. l. f. C. d. revoc. don. l. 1. ff. h.* unde pœnitere non licet donatori, quamvis prætextu donationis in fraudem creditorum ſuſceptæ utatur. *l. 4. C. eod.* *Quodſi Res Duobus Donata ſit* potior eſt in dominio is, cui ea prius tradita. *l. 15. C. d. R. V. cumque Princeps in Duos eandem Rem,* ut fundum, per donationem *contulit,* atque ex iis unus ſine hærede decedit, ejus portio conſorti acquiritur ex Liberalitatis Principalis benigna interpretatione. *a. l. f. ff. d. Conſt. Princ. l. un. C. ſi liberal. imper. ſoc.* quod ad Feudum, proprio motu à Principe duobus datum, ſatis convenienter applicat Brunn. *ad d. l. n. 9.*
- *Tollitur*
  - *Pro Parte quatenus eſt Inofficioſa. l. 5. l. 7. C. d. inoff. don.* i. e. minuit Legitimam illorum, quibus ea debetur: ut Liberis, Parentibus, certaque ratione Fratribus. *l. 1. l. 2. l. 4. l. f. C. eod. j. l. 27. C. d. inoff. teſt.* ſecundum Ordinem ſc. Succesſionis, & quidem Teſtamento condito Fratribus Germanis Conſangvineisve, quibus turpis perſona prælata eſt, conceditur. *d. l. 27. j. l. f. C. d. inoff. don.* Ant. Perez. *ad C. d. t. n. 2. Hæc locum dat Querelæ Inofficioſæ Donationis* (*&, cum dos data eſt, Dotis. l. un. C. d. inoffic. dot.*) *quæ eſt Actio Subſidiaria* (unde per in integrum reſtitutionem competentem quoque excluditur. *l. 4. l. 6. C. d. inoff. don.*) & datur Perſonis in Legitima per donationem defuncti (aut dotis dationem. *d. l. un.*) læſis ex teſtamento vel ab inteſtato ſuccedentibus. *l. 3. C. d. inoff. don. a. N. 92. c. 1.* Perez. *d. t. n. 3.* adverſus accipientes eorumque hæredes ad donationem (ſive dotis dationem) quatenus legitimam diminuit reſcindendam reſtituendamque. *l. 5. l. 7. C. d. inoff. don. N. 92. c. 1.* Carpz. *P. 2. C. 12. d. 36.* Quodſi Legitimam non habentes ſalvam conveniantur Actione, ad ſolvendam dotem à Patre filiæ promiſſam competente, *Exceptione Inofficioſæ Dotis* rectè ſe tuebuntur. *a. l. 8. §. 13. ff. d. inoff. teſt. j. l. f. C. d. inoff. don.* Mev. *P. 9. d. 181. Ceſſat iſta Querela* (1.) Voluntate defuncti agnita. *l. 6. C. eod.* (2.) Elapſo Quinquennio. *l. f. C. eod.* (3.) Ob Ingratitudinem Hæredis Legitimæ ſupplementum petentis. *N. 92. c. 1. §. 1. j.* Laut. *Diſſ. d. Inoffic. donat. th. 31. ſeq.*
  - *In Solidum propter*
    - *1. Ingratitudinem*
      - *Quæ parit Revocatoriam Actionem,* eaque eſt perſonalis (ex vitio ingratitudinis. *a. l. 1. l. 7. C. d. revoc. don.*) & datur donatori (non hæredibus re integra. *l. 7. C. eod.*) adverſus donatarium (non hæredes. *d. l. 7. j. l. 22. C. d. pœn.*) ad res donatas tempore motæ actionis apud donatarium exiſtentes, (non b. f. alienatas, e. g. permutatione, donatione &c. *d. l. 7.*) reſtituendas una cum fructibus poſt litem conteſtatam perceptis. *a. l. 41. §. 1. ff. d. re jud. j. l. 38. §. 7. ff. d. uſur.* Ant. Fab. *in C. l. 8. t. 36. d. 15.*
      - *Cujus Cauſas Quinque recenſet Lex f. C. d. revoc. don.* & ſiſtit Verſ. Ingratum faciunt 1. Atrox injuria. 2. Damnum. 3. Impia dextra. 4. Fides fracta. 5. Pericla necis. *Quas ſimiles majoresque Cauſas non excludere rationi juris convenientiſſimum eſt,* vocabulum enim tantummodo in *d. l. f.* non excludit caſus ſimiles, aut majores. *a. l. 1. §. 1. ff. ſi menſ. falſ. mod.* Jul. Clar. *ſent. l. 4. §. donatio. q. 21. n. 2.* quò referunt omnium bonorum donatorem, qui uſumfructum ſibi non reſervavit, ſi eidem ad inopiam redacto denegentur alimenta neceſſaria & pro modo exercitæ liberalitatis æqua. *a. l. 4. ff. d. agn. & al. lib.* Clar. *c. l. n. 3. j.* Huber. *in Præl. ad π. h. poſ. 7. Apud nos Sententia* Carpz. *P. 2. C. 12. d. 31. Similes Cauſas non admittentis videtur eſſe receptior* quàm contraria. Ex definitis in *l. f.* Cauſis verò licita eſt donationis revocatio, quamvis Donatio Jurejurando ſit confirmata ob præſumtam intentionem jurantis. *a. c. 23. c. 25. X. d. jurej.* ſicuti judicatum apud eundem. *dec. 123.*
    - *2. Liberos Supervenientes. v. pag. ſeq.*